



XII, b2<sup>L</sup>

5, 784





184











LAMENTABILIS  
HISTORIA

TRISTISSIMI  
INCENDII SALISSÆ

THURINGORUM ANNO CHRIS-  
TI: 1602. AD 6. FEBRUARII DIEM,  
horâ nocturnâ tertiâ, oborti, in quo, præter plurima ædi-  
ficia bonorum domesticorum satis amplam supelle-  
ctilem continentia, septem homines & multa  
pecora miserè interiere.

AD EXCITANDUM OBLI-  
TERATAM PENE IN MULTIS MEMO-  
riam rei hujus (*quæ certissimum, ob peccata nostra quidem irati;  
filii tamen sui mediatrice intercessione placati Dei, indicium  
exhibuit,*) in Elegiacum Carmen revocata, &

SECUNDO DEMUM POST AC-  
CEPTAM CLADEM ANNO, QUO, IN VICI-  
niâ & multis confinium ditionum oppidis & pagis, plura  
ejusmodi incendia increbrescere deprehendebantur,  
pro anniversariâ recordatione publi-  
cata, ab

HENNINGO DEDEKINDO SALTZENSIUM  
DIACONO, PRÆTER SUAM SUORUMQUE  
vitam, & pellem nudâ saltē interulâ tectam, dissonente sic  
Deo, ex eo ipso periculo nihil ferè  
eripiente.

IMPRESSA ERFURTI  
Typis Pistorianis, Anno Domini:  
Magne Dator, parCat rogo nobis æstifer Ignis.



*Doctissimo et humanissimo viro Dn. M. Johanni Fesembecio.  
Reip. Gothanae a codicillis, Literato Musarum fautori. affici  
suo & commiserationis movendæ ergo mittit auctor.*





VIRIS  
GENERIS PROSA-  
PIA HONESTISSIMIS, RERUM EX-  
PERIENTIA PRUDENTISSIMIS, ERU-  
ditionis scientiâ ornatissimis, & gravi aucto-  
ritatis decore amplissimis.



Domini- }  
nis } Melchiori Aurbachio  
} Ludovico Poppio  
} Johanni Gerbeumio  
} M. Simoni Pregero } Con-  
} Nicolao Schrötero Emerito } sultibus  
} Georgio Krhumio &  
} Ludovico Aurbachio }

*Reliquisq; Senatorii ordinis in Civitate Salisfe-  
longæ Thuringiaca, per vices, Proceribus,*

DOMINIS COMPATRIBUS, ME-  
COENATIBUS, PATRONIS ET PRO-  
motoribus suis omnibus & singulis, multis nomi-  
nibus honorificè colendis

DICTA PLURIMA SALUTE ET OPTATO  
PROSPERRIMO NOVI HUIUS ANNI EVENTU,  
& sequentium successu, submisit Carmen hoc  
dedicat

HENNINGUS DEDEKINDUS ECCLE-  
SIÆ EJUSDEM DIACONUS.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



# ELEGIA DE- DICATORIA.

**S** Altiadum Proceres, vos triplicis ordo Senatus,  
Civica quis nostrâ paret in orbe cohors,  
Vos ego, quippe cliens hoc tempore, posco patronos,  
Patronos etenim vos fore spero mihi,

Ut, quod in apricum modo vult prodire diemq̄,  
Praesidio vestro promoveatis opus.

Non ego jucundos paro commemorare lepores,  
Nec risum lepidis conciliare jocis.

Non ego Tharidae convivium carmine pango,  
Nato ablactato quæ dedit ille suus.

Non ego magnificæ regalia fercula mense  
Asueri in versus posco venire meos.

Non Galileicæ cano prandia lauta Tetrarchæ,  
Prandia natalem concomitata diem.

Nec modo Romulidum claros describo triumphos  
Victorum aut gentis plebs recutita tuæ.

Nec refero læta ruralia carmina vocis,  
Quæ dat messoris vinitor ipse comes.

Nec moror insani, nec molior, improba Bacchi  
Subila, cultori, dum furit, apta suo:

Namq̄, alios mores hoc tempus postulat & Res,  
Non joca, sed lesos, dum grave, suadet opus:

Tempora nam redeunt mæstis recolenda figuris,  
Prædixit mortem quis Deus ipse suam.

Ecquis homo, fidei cui tantum mica sit una,  
Ludicra, dum Christus seria tractat, agat?

Sint procul à nobis indigni nomine Christi,  
Quis non ex animo passio grata Dei est,

A 2

Qui

Gen. 21. v. 8

Esth. 1. 3.

Matt. 14. 6.

Esa. 61. 7.

Iere. 31. 5.

Esa. 19. 14.

LUC. 18. 32.



Esaï. 43. 24

Luc. 22. 44

Gala. 6. 14.

Ephes. 5. 4.

Qui fatuos simulant, Dominum dum fata fatigant,  
Et, quem pro nobis sustinet ille, labor.

Qui ludum, lusus dum sudat Iesus in horto,  
Et maculat teneros sanguinis imbraporos.

Asociant nobis se Christi nomine digni,  
Quorum est in Christi gloria sola cruce.

Hos nulla afficiet levitas, Iusus vè, jocus vè,  
De Christo dictos quæ decuere minus:

Sed Ducis his luctus pariet suspiria, & illa  
Sæpius infigent cordi iteranda pio.

Altera vitandi luxûs luctûsq; fovendi  
Causa venit variis amplificanda modis:

Annua damnifera redeunt nam tempora cladis,  
Que læsit nostros impetuosæ lares,

Quando citæ flammæ tignosq; trabesq; domorum,  
Vulcanæ, imperio præsituere tuo.

Heu pudet, & merito commotâ mente dolendum est,  
Tâm citò, tam flagrans exolvisse malum!

Nam nihil id populus, cui corda adamantina, curat,  
Absq; domo quod ibi rudera nuda jacent.

Vix, quibus hic periere domûs & cuncta supellex,  
Cum datur hæc sortem fortè videre dolent.

Et tamen est justum diuini numinis iram  
Non penitus sicco præteruisse pede.

Ergo meis studiis ego tantum temporis ausus  
Surripere, in carmen gesta ea triste tuli.

Res queat ad seros transmitti ut tota nepotes,  
Hæc, me defuncto, qui metra forte legent.

Vos, quibus hoc ipso Respublica tempore cura,  
Cum nostræ flammis res peterentur, erat,

Audaci inscriptum vobis coram ine carmen,  
Suscipite à passo tum grave vate malum:

Nam



Nam decet id nostrâ conquirere in urbe patronos,  
 Nota quibus vatis sors sit, & urbis onus.  
 O utinam Domino visum prohibere, fuisset,  
 A vate hanc sortem, triste & ab urbe malum!  
 Non ego flammiloquis onerâsem hanc versibus urbem,  
 Non hac patronos rusticitate meos:  
 At, quia sic placuit nos castigare parenti:  
 Gratia & ira Dei commemoranda fuit.  
 Commemoranda mihi fuit. Ipse expertus utramq;  
 Carmine in hoc Dominis rimor utramq; meis.  
 Quod volo collato gratam pro munere mentem  
 Testari, & vestrum concelebrare decus:  
 Nudus oberrarem cum flammis perditus istis,  
 Vos mihi privatam namq; tulistis opem.  
 Reddat opes vobis (Hæc sunt mea vota, vel omni  
 Tempore.) Largitor maximus ille boni.  
 Arceat à vestris idem Deus ædibus ignes,  
 Arceat à vobis omnigenumq; malum.  
 Et donet placidam cum longâ ætate senectam,  
 Donet & ætherei cœlica regna poli.  
 Interea socios salvi dum ducimus annos,  
 Et gerimus nostro munia digna statu:  
 Hactenus ut factum est, mihi vos præbete patronos,  
 Ipse cliens vestro digna favore geram.  
 Sic tamen, ut Domini curentur munia summi;  
 Dein hominum, gesto more, paretur amor.  
 Sic erit, ut maneat nos mutua gloria, Christi  
 Quando tubis fuerit condecoranda dies.  
 Tunc crucis expertes crucifixi in gaudia Regis  
 Ducemur, quo nos agmina sancta vehent.  
 Tu, bone Christe, veni, malus esse ut desinat orbis.  
 Ut tibi nos jungas, Tu, bone Christe, veni.

Ebr. 12. 6.

Iacob. 1. 17.

Esa. 49. 4.

Rom. 15. 2.

2. Cor. 1. 14.

1. Thef. 4. 16

Mat. 25. 21

Luc. 16. 22.

1. Ioh. 5. 19.

Apo. 22. 20



# HISTORIA INCEN- DII SALTZENSIS.

**N**Uminis esse, quidem fateor : memorabile do-  
num,

Si quisquam lætâ mente fruatur homo.

Hæc pars est hominis superatâ ex mole laborû,  
Læticiam ad placidos si colat ille lares.

Ergo nec invideo felici sorte beato,

Cuj Deus & manuum læta propinat opus,

Quin lætatus edat panem, absq; dolore suumq;

Prælibet vinum, quod Deus ipse dedit :

Est etenim sua vita homini cor undiq; lætum,

Tristiciam cui non cura maligna creat :

Est tamen in rebus modus, est mutabile tempus,

Lætitiæq; suum, tristitiæq; suum.

Risus & ingrato luctu miscebitur omnis.

Excipietq; sequax gaudia blanda dolor.

Ergo satur nôrit: rursus se posse carere,

Quiq; caret, satuum se fore credat: erit.

Illum seq; gerat, Legis cui nota sit omnis

Summa: Timere Deum, iusta tenere Dei.

Cuncta Dei siquidem sint ante vocanda tribunal,

Tam bona, quam, quæ sub tegmine, prava, latent.

Ergo, quibus mundi largo res affluit usu,

Sic vivant, ne quis damnet abusus opes.

Siq; volent hujus mundi uti rebus : abuti

His caveant omni, quo potuere, modo.

Nec mundum, nec ament recidiva negotia mundi,

Quæ trudent cupidos tartara ad ima viros.

Casibus afflictos sed commiserentur egenos,

Sors horum ut variâ pro vice tangat eos.

Hoc

*Eccl. 3. 7. 13.*

*Eccl. 2. 10*

*Eccles. 9. 7.*

*Hos. 2. 8.*

*Syr. 30. 23.*

*Eccles. 8. 6.*

*Eccl. 3. 4.*

*Prov. 14. 12*

*Syr. 11. 27.*

*Syr. 18. 25.*

*Eccl. 12. 13.*

*14.*

*Syr. 13. 30.*

*1. Cor. 7. 31.*

*1. Job. 2. 15.*

*1. Tim. 6. 9.*

*Syr. 7. 38.*

*Rom. 12. 15*



Hoc volo lectores, qui cernent nostra, rogatos,  
Carmina: Christiadum nam iubet illud amor.  
Ergo mei (namq; esse meos vos testor) amici,  
Qui lectum hoc nostrum - cunq; venitis opus,  
Humectate genas, communia fata dolentes,  
Salziadum everfos quæ petiere focos,  
Et flenti flentes socios vos jungite turbæ,  
In cinere exquirat quæ bona cara sibi.  
Est Elegis nomen, quod commiseratio gignit.  
Elegi ergo Elegos casibus his miseris.  
Quare adhibete mihi pressis singultibus aures,  
Qui flammam & cineres ustaq; tecta canam.  
More Poëtarum nihil amplificabo: sed ipsam  
Historico gestam rem memorabo metro.  
Candidus exponam, sine fuce & crimine falsi  
Acciderint nostris quanta pericla focis.  
Inq; his nota canam, non illa ignota, meosq;  
Expeditam casus, damna, pericla, lucra.  
Sic tamen ex reliquis assumam ut paucula gestis,  
Quæ graviora putem, quæ reticere nefas.

1. Cor. 13. 6

Syrac. 7. 38.

Magne Deus, paret cui tellus, ignis & æther,  
Quæ te dante juvant, teq; volente nocent.  
Huc ades, atq; tuo nostram rege Flamine mentem,  
Et linguam, & totum, quod dare conor, opus,  
Ne quid ego temere mediter scribamvè loquarvè,  
Quod nequeat laudes amplificare tuas.  
Tu cohibe affectus, qui me memorem antè malorum  
Impellant, animo ne patiente feram.

Syr. 39. 32.

Vos quoq; (si quibus hæc mea metra legentur) amici,  
Afferte huc fratrum candida corda precor.

Siq;



Siq; quid occurret, quod durius esse putetur,  
Nolite ingenium credere id esse meum:  
Nam licet hæc memini prisco non absq; dolore:  
Impatiens fortis non tamen hujus eram.  
Sed quæ disposuit nobis divina voluntas,  
Protinus hæc æquâ mente pericla tuli.  
Si quoq; gentiles antiquo nomine divi  
Versibus in nostris obtinuere locum:  
Ne me blasphemum quæso, ne fingite bardum,  
Qui statuam Statuæ numen inesse dolis:  
Nomina namq; mihi sunt hæc communia, non sunt  
Propria, gentiles nec sonuere DEOS:  
Sed mihi res ipsas antiqua hæc nomina produnt,  
Quas larvis gentes attribuere suis.  
Non mihi fabrorum Deus est Vulcanus & ignis:  
Ipse sed est ignis vilis & ipse Faber.  
Non mihi ventorum princeps est Æolus ille,  
Spiramen nutu qui regat omne suo:  
Sed mihi pro quâvis id nomen sumitur aurâ,  
Quam Deus occultis excitat ipse locis.  
Sic ego gentiles ( licet illas nomino ) larvas  
De jicio, imperio subjiçioq; Dei.  
His ita præmissis: nunc gesta referre parabo,  
Quam potero, plano commemorata stylo.  
**S**ecula transierant sedena secundus & annus,  
Ex hoc, quo mater facta Maria Dei est,  
Sexta dies aderat Februi, quo tempore quondam,  
Dorotheæ pietas concelebrata fuit,  
Tertia post mediam noctem transiverat hora,  
O nimis infelix hora diesq; mihi!  
Namq; hæc illa fuit, funestis concita flammis,  
Corripuit multas quæ sine lege domos,

*Psa. 135. 7,*

In qui-



In quibus (heu miserum me!) recta fuere, sacerdos  
 Quæ tenui ad menses incoluiq; decem.  
 Hic, ubi Longa- arcem circumdat - Saltza Triburgum,  
 In Thuringiacis illa celebris agris.  
 Hospes erat, patulas cujus signaverat ædes  
 Albus equus, vico de grege nomen erat,  
 Sacra ad templa suos habitaverat ille penates,  
 Plurima per latum venit ubi olla forum.  
 Sæpe hic Vulcani sonuerunt verbera, sæpe  
 Martis & Asmodis jurgia, sæpe minæ.  
 Sæpè hic blasphemi sonuerunt cantica Bacchi.  
 Dum studuit multis hospes uterq; scyphis.  
 Rarior hic pietas & cura domestica rebus  
 Consuluit justâ sedulitate suis.  
 Fallor? an hac ipsâ fuit hic discordia nocte,  
 Quando citæ flammæ corripuere lares?  
 Sic reor, ut fama est: malè convenisse duobus,  
 Debuerant uno qui recubare toro.  
 Ergone disidiis accepta hæc fata feremus,  
 Et damnum nævis istius omne domûs?  
 Absit id: insontes nec enim plebs cætera dextras  
 Lavit, & à cunctâ candida labe fuit,  
 Sive ea perdiderit flammâ ardescente penates,  
 Sive hos servârit commiserante Deo.  
 Credimus ergo: ortas has non sine numine pœnas:  
 (Namq; bonum Domino provenit, atq; malum!)  
 Quod dudum ultrices flammæ ventosq; creavit,  
 Ut peccatorum prata domosq; vorent,  
 Quando Dei nutus iprevere & sabbatha, onusq;  
 Festo per portas intetulêre die.  
 Talia (quis negat hoc?) Pravi commisimus omnes,  
 Omnes flammivomas digni habitare domos.

B

Est

*Psal. 73. 13.*

*Prov. 20. 9.*

*Amos 3. 6.*

*Syra. 11. 14.*

*Syra. 39. 33*

*Hosea 8. 14.*

*Iere. 17. 27.*

*Matt. 22. 7*



Est tamen, est causis quoq; vis tribuenda secundis,  
Per inis su summi quando Tonantis agunt.  
Fallor? an exorto, flammâ erumpente, tumultu,  
Vicinus solitos est ratus esse sonos.  
Qualibus intonuit domus illa subinde, fenestras  
Ebria confregit quando foresq; manus,  
Aut quando arma, armis contraria, sumta furorem,  
In bellatores exeruere suos,  
Atq; ita securam tutus dormivit in aurem.,  
Dum petiit victos flamma superna lares?  
Sic hominum fomitem potuit socordia flammis  
Ponere, & in victo suppressere igne domos.  
Quicquid id est: si cui mens est sibi conscia facti,  
Conciliet læsum supplice corde Deum.,  
Et se tanta suis vicinis damna dedisse  
Suspiret, primo pœniteatq; die,  
Ne phlegetonæis correptus ab ignibus, omne  
Ævum in sulph' reo transigat ille lacu.  
Nos, quibus evenit damnum, miserebimur ejus,  
Omne remisit, i, si roget ille, malum.  
Ipse Deus, cui nos miseri peccavimus omnes,  
Injustum nobis omne remittat opus.  
Arceat à nostris & damna futura columnis,  
Ne repetant nostros tanta pericla lares,  
Quanta dolorifico modulari carmine cœpi,  
Quod lacrumis mistum continuabo suis:  
Hospes erat. (Redeo unde fui digressus) & hospes  
O utinam in vastis ille habitasset agris!  
Illius exarsit vel prima culina, vel ipsi  
Proxima quæ stabant, vivâ hypocausta face.  
Transierant vigiles fumumq; videre putantes,  
Censuerant nullum posse subesse malum.

*Apoc. 20. 10.*

*Psal. 106. 6.*

*Psal. 65. 4.*

Primus



Primus ibi famulus surgens descendit, ut intret  
Per solitas hypocausta inferiora fores,  
Quas dum pandit iners pleno ruit impete flamma,  
Tigna q; lambendo proxima qua q; petit,  
Obstupet, ignorat, quid agat: maneatne, fugamne  
Tentet, an exclamet. Clamat & inde fugit.  
Auriga olfaciunt fumum, surgunt q; ruunt q;  
Qua datur, ut vitæ consuluisse queant.  
Hic ruit è celsis, effracto crure, fenestris,  
Illi jam flammans janua pandit iter,  
Iste sed excusso conservat pariete vitam,  
Omnes perculsi corda timore pari.  
Ipse domûs dominus sed adhuc cum prole manebat,  
Hic, ubi nocturno tempore capta quies,  
Nec sine porrectâ sese demittere scalâ,  
Nec per flammicrepas audet abire fores:  
Pleno namq; gradûs ardebant igne, deorsum,  
Quâ via cum puero suscipienda fuit.  
Ergo suo puero scapulas obtendit, ut unâ  
Cum puero in flammis finiat ille diem.  
Interea citius conjux elapsa periclis  
In plateas extra currit anhela domum.  
Invocat auxilium Patruî scalamq; fenestris  
Applicat, ut natum liberet atq; virum,  
Qui simul ac plateas pedibus titubantibus urbis  
Occupat à flammis liber & interitu:  
Aufugit absq; morâ, ne fortè tumultus in illum,  
Fiat, & ex Tenago concidat in Pelagus.  
Cætera plebs currunt, exclamant undiq;: flamma,  
Flamma petit nostras (surgite quisq;) domos.  
Nec vox illa meas, licet altior, attingit ædes:  
Pervia namq; minus nostra platea fuit.

B 2

Pervigil



Pervigil in speculâ qui sedit celsior urbis,  
Nec dum ullum pulso fecerat ære sonum.  
Interjecta Bonifacii præcluserat ædes  
Aspectum, hinc factum est seriùs indicium.  
Seriùs auxiliò cives venêre, nec ullus  
Qui mihi fata isthæc significaret, erat.  
Scilicet ignari, nostros ea fata penates  
Tangere, qui spaciis hinc jacuere suis.  
Nec mihi vicini, qui tecta propinqua tenebant,  
Fecerunt pulsus indicium foribus.  
Quippe illi propriis perculsi cladibus, isto  
Tempore fortunam non meminere meam:  
Sed Deus ipse latus dextrum mihi punxit & inquit:  
Surgito, rumpe moram, surgito, noxa prope est:  
Namq; quid est aliud, quòd jam jam urgente periculo,  
Deseruit justo tempore membra sopor,  
Quàm vox ipsa Dei, quàm vel custodia, quæ me  
Angelica tutum currere fecit ope?  
Quippe suos flammæ fecit Deus ipse ministros,  
Ut, quod nostra salus postulat, illud agant.  
Ergo Dei nobis præsto fuit angelus. Ergo  
Ductricem nobis præbuit ille manum.  
Et velut in fontem Sodomæ ex sulphure Lothum  
Duxit, & in tutum fecit abire locum:  
Sic, subisse quidem nos ignea damna, recordor:  
Ipsius eductos attamen esse manu.  
Nempe fuit nobis præsto Deus, igne represso,  
Læderet ut nullo me vè meos vè modo,  
Quamlibet ad nostros conscendens flamma penates  
Incensa attigerat tecta superna domûs.  
Jamq; mei densus fumus penerrale cubilis  
Cœperat obscuris prorsus adire viis,

Quando

*Psal. 104. 4*  
*Ebræ. 1. 14.*

*Gen. 19. 16.*  
*Psal. 66. 12*

*Esa. 43. 2.*



Quando meæ dixi trepido sermone marito:  
 Hei: nostræ fumos olfacio esse domi.  
 Illa sub hæc: res nostra agitur, carissime conjux,  
 Væ nobis! paries proximus, ardet, ait:  
 Lavit heri vicina suas, sua lintea, vestes,  
 Hinc, reor, hæc nobis flamma rimenda venit.  
 Nec tamen illud erat: sed flamma remotior ædes  
 Urere terribili cœperat acta Noto,  
 Lucida per densas volitans scintilla favillas  
 Cum ruit, ut flammis usta fenestra crepet.  
 Et modò non ipsum Vulcani carbo cubile  
 Appetit, è gelido quando ego surgo toro.  
 Tum mihi prima fuit vicinos cura vocare,  
 Quos ratus, oppresos esse sopore, fui.  
 Surgite, proclamo: Vicini surgite. Flagrat  
 Interitum nostris flamma minata bonis.  
 Mox gemino cursu bis binos aufero natos,  
 Et nudus nudos, quâ via nota, gero,  
 Extulerat quintam conjux Christina puellam,  
 Ipsa novo fœtu, numine dante, gravis,  
 Extulerat conclavi ex editiore deorsum,  
 Ut leve tegmentum sumeret, & fugeret.  
 Dumq; hypocaustra petunt, ubi tunc soror atq; ministra  
 Nocturni fessæ mole laboris erant:  
 Ecce extinctus erat nocturnâ in lampade lichnus,  
 Quem solitus vivâ luce fovere fui.  
 Arripit in tenebris, quod, conjux invenit. Exit  
 Cum natâ ad primas plena timore fores.  
 Intonat interea repetitus clangor & angor,  
 Æraq; terrificum dant tremebunda sonum,  
 Anterior nobis aperitur janua: & ecce:  
 Ante fores geminus jam residebat eques.

B 3

O cives



O cives dixi: (nam cives esse putabam,  
 Qui vellent nobis ferre libenter opem.)  
 O bene, quod nobis adeo succurrere prompti  
 Venistis facili nos relevare manu.  
 Illi hoc audito fugiunt, nam prorsus & ipsi  
 Quæsierant fallax hac sibi perfugium,  
 Quippe viri, quibus hospitium nocte albus eadem  
 Præbuerat, flammis jammodo rufus, equus.  
 Subsequitur conjux, si fortè sit exitus aptus:  
 Sed nec per flammæ exitus aptus erat.  
 Trajiciunt equites ignem, nuptam ignea retro  
 Tela fugant, fugit hæc, quæ mea tecta crepant.  
 Namq; superna domus pars cœperat ignibus uri:  
 Attamen hac dandam censuit esse fugam.  
 Murus erat, brevis ille quidem nec celsus, at hortos  
 Qui tum vicini diffidit atq; meos,  
 Scandit eò trepidans sine scalâ & tramite conjux;  
 Namq; nec in promptu commoda scala fuit,  
 Scandit eò, natasq; sequi jubet atq; sororem,  
 Et parte ex aliâ labitur, ut fugiat,  
 Sæpius antè memor versatæ hinc inde loquelæ,  
 Quando vicini sedimus ante fores:  
 Si Deus incendi partem hanc conniveat urbis,  
 Quis queat egressus, quæ via tuta dari?  
 Si, qui noster erat metus, ipsâ in fronte plateæ  
 Præclusæ fuerint gressibus igne viæ:  
 Alter ad extremum fugiendum censuit hortum,  
 Qui lato hîc spacio conspiciendus erat.  
 Alter ad angustos pergendum ait esse recessûs,  
 Quos Parochi exhibeat pervia facta domus.  
 Ergo suâ conjux mea concomitante sorore,  
 Natabusq; isthæc antra duabus adit,

Ipsa



Ipsa gerens utero puerum, scapulisq; puellam,  
Quæ nondum hoc annos tempore nata duos.  
Affuerant alii, vicini germina, nati,  
Quos mea tum natos est rata nupta suos.  
Atq; illos unâ muri de parte propinqui  
Sustulit, ut fugerent liberiore pede,  
Dumq; illis studium præstat, deponit in herbâ,  
Ulnis quam, natam, gesferat ante suis.  
Atq; statim accretis, Vulcano augente, periclis,  
Pulsat vicinas impetuosa fores.  
Et, vicine, tuos vicinis pande penates,  
Incensi flammis ne pereamus ait:  
Panditis: atq; illuc quivis ruit impete primo,  
Ut primo ad plateas ordine tutus eat.  
Tum mea vicinos progressos aspiciat omnes  
Conjux, nec Dominum cernit adesse suum.  
Nec videt ipsa suos numeratos ordine natos,  
Consortes terni namq; parentis erant,  
Nec videt hanc, ulnis quam gesferat antè, puellam,  
Inter vicinas quam putat esse nurus.  
Hinc oritur planctus, non tam, quia nullibi proles,  
Quàm, quia conspectus non erat ipse pater:  
Namq; ego, quando fugæ dandæ via nulla pateret,  
Quà plateæ primum stabat in igne caput,  
Post illam, in reditu, tanto vix tempore mansi,  
Quo possem accensi luminis igne frui,  
Id quod opus famulæ mando, sed & illa suas res  
Præ nostris curans, ut sua salvet, abit.  
Seriùs accensi sic fit mihi luminis usus,  
Et sic, in tenebris dum meo, salvo nihil.  
Tres saltem ablego natos comitante ministrâ,  
Deposita accedant hortuli ut arva morâ.

Interea



Interea curtas (nihil amplius) induo vestes.  
Liber ab officio qualibus usus eram,  
Involvoq; pedes properanter utrosq; cothurno,  
Pro dextro lævum dum tibiiale gero.  
Hic mihi vestitus cæcâ sub nocte dabatur,  
Cætera Vulcani quando cremaret opus.  
Veni equidem in mundum nudus nudusq; recedam.  
Sic tamen ut digno pallio amiectus eam.  
Sors media exorto mihi contigit igne, fugatum  
Ut Deus ardenti jusfit abire domo:  
Namq; nec omnino nudarâ pelle recessi.  
Ceu venit in partu nostra propago suo:  
Nec tamen (ut nostros vestire solemus amicos  
Juxta judicium, quando obiere diem.)  
Veste fui indutus nitidâ, nec munere dignâ,  
Quem cathedra & mystam foverit ara, viri.  
Vix tenuem arripui perterrefactus amiectum,  
Vix tenuem conjux, conjugis atq; soror.  
Arctior imbelles presit fortuna minores,  
Vix sua servârunt quattuor indusia.  
Filia quinta nihil, nisi nudam, parvula, pellem,  
Vulcani potuit surripuisse minis.  
Ipse meum accepto Musæum lumine tandem  
Ingressus, modo non tactus ab igne tui,  
Nec mora, discurrens, nunc huc, nunc ocyus illuc,  
E scriptis volui sumere pauca meis.  
Suntq; oblata mihi pia commentaria, Christi  
Passio quâ tabulis est resoluta suis.  
Et quibus ante aliquot ferialis Epistola menses  
Vulgi ad congressus enumerata fuit.  
At quia certa moræ vicina pericla fuerunt:  
Cedendum abruptâ sum ratus esse morâ.

*Eccle. 5. 14.*

*Sap. 7. 6.*

*Syr. 38. 16.*

Jamq;



Jamq; illinc fugiens properatis gresibus unum  
Salvavi è multis eripuiq; libris.  
Atq; ita per flammans tecto lignile cucurri,  
Quà mihi monstrabat semita sola fugam.  
Si mora pauxillo mihi tempore ducta fuisset:  
Protinus in flammis omne stetisset opus.  
Et latus omne loci flagrasset, & omnia ligna,  
Quorum illic mihi tunc copia plena fuit:  
Nam nec ab ardenti fuerat pars infima tecto  
Distincta, aut ullo fornice tecta modo.  
Nec mihi curâram solidæ mera robora quercûs,  
Quæ possent ignem sustinuisse levem,  
Fascibus arboreis & raris frondibus alni,  
Lignilis turgens omne cacumen erat.  
Quæ poterat tenuis scintillæ incendere carbo,  
Atq; ita dilatam præpediisse fugam.  
At Deus, ereptum me tantis ipse periclis  
Qui voluit, justo tempore, dixit: abi.  
Hinc (ubi carbonem nungentem ingressus in hortum,  
Salvatum abjeci deseruiq; penum.)  
Obvius oggemuit geminus mihi natus & inquit:  
Affer opem nobis, ô pater, affer opem.  
Cum quibus ad murum pede dum properante recurro,  
Ut monstrem tutum quà meditentur iter,  
Visa mihi est conjux planctum dare, visa capillos  
Vellere, & in tales solvere labra modos:  
Heu pater! heu conjux! mea gaudia sola, quid hoc est,  
Sub tecto flammis quod crepitante manes?  
Siccinè plaris erant tibi, res chartacea, libri,  
Quàm soboles, conjux, ipsaq; vita tua?  
Per sacra, perq; fidem te conjugialis amoris  
Posco veni, valeant omnia, Tute veni.

C

Hei.



Syra. 26. 4.

Syra. 40. 23

Hei mihi! quæ sine te murum transire paravi,  
Cum, sine me, certum sit tibi, velle mori.  
Quis mihi, quis, miseræ gradibus succurret, ut illos  
Transcendam muros, unde repulsa fui?  
Ni potero ereptum flammis servare maritum,  
Quo sine grata mihi vita manere nequit:  
Pergam, ut difficili solatia tempore præstem,  
As socièrque meo compare sorte viro:  
Pergam. unà occumbam, cum quo misera hæctenus unà  
Accubui, ad mensas ad sociasque dapes.  
Nunc rogius unus erit, quibus & torus antè, duobus  
De natis summus videat ipse pater,  
Talia femineo, dum, lamentata ululatu,  
Multiplicat curas tristis & ægra suas,  
Ipse ego cum natis muros accedo, vocoque  
Vicinos, famulam filiosque meos:  
Huc agite. Hic murum conscendi posse notavi,  
Pronior hinc vergit planior hinc gradus est.  
Jugiter accurrunt. Sed & hic lacrumabile visum.  
Occurrit, metris res memoranda meis:  
Clara suos paulum prægressa puellula fratres.  
Hærebat muri labilis ad coria,  
Nec poterat manibus summum tractare cacumen.  
Natura imbellis, territa clade novâ.  
Fallor? an ex illâ crebro compagine lapsa,  
Plena tremore fuit, plena dolore fuit?  
Scilicet ex istâ luxatum clade lacertum,  
Obtinet, & gybbum jam gerit inde suum.  
Prævius hinc scando muros jubeoque sequantur,  
Cum natis video quotquot adesce meis,  
Quos ego murorum fastigia ad ipsa levatos,  
Suscepi ex aliâ parte juvante manu.

Illico



Illico me sequitur vicinia multa meosq;  
 Cognita cui sine me non fuit illa via.  
 Proxima tunc (aptum) stetit è regione marita,  
 Et me cum natis vidit adese tribus,  
 Quæ renovavit opus lacrimarum flebile, & inquit:  
 Nunc sua sit plenâ gratia laude Deo.  
 Reddidit ille meos mihi, quos perisse putabam,  
 Quis nihil hic totus carius orbis habet.  
 Omnia nunc summi placito commissa tonantis,  
 In cineres abeant, cum velit ipse, leves.  
 Namq; satis nobis jam nunc reor esse bonorum,  
 Cum mihi sit conjux cum soboliq; pater.  
 Qui mihi, qui dedit his animam, spiracula vitæ,  
 Id, quo corpus eget, protinus omne dabit.  
 His dictis socios stat mens absolvere gressus,  
 Et per vicinam cursibus ire domum,  
 Horrea ubi summo cœpere cacumina flammis  
 Corripi, & in domini vergere damna sui.  
 Hæc ubi visa, fugit, fugit ocyus, impigra conjux,  
 Jam satis ad nostræ territa damna domus.  
 Dum sequor hanc, mediis vagitus in ædibus infit,  
 Ac si sit natæ vocis imago meæ.  
 Respicio: (Ecce mei vicini hypocaustra patebant,  
 In clausas erat janua missa seras.)  
 Aspicioq; meam (quæ nata novissima) prolem,  
 Appositâ in mensâ luce sedere domus,  
 Vicinus primæ quam fidus in impete turbæ  
 Depositam ex viridi cespite sustulerat.  
 Cœlitus hoc pietatis opus sua præmia nactum est;  
 Defensorem habuit nam domus illa Deum.  
 Hinc, licet ipsa suis arderent horrea flammis:  
 Attamen in tuto substitit illa loco.

Genes. 2.7.  
 Matt. 6.25.

C 2

Sic



Sic domus in fontem cupiens servare puellam,  
Servata angelici tuta cohorte chori est,  
Sic mihi nata fuit mea reddita Julia, nomen  
Cui supplet sylbis virgo Maria tribus.  
Oblatam ergo novo veluti mihi munere natam  
Arripui, matri restituiq; suæ.  
Sic patuit nobis ad apertos semita vicos,  
Vicino officium non renuente pium.  
Iste fugæ modus est nostræ. Sic omnia nostra  
Liquimus in flammis arbitrioq; Dei.  
Hac est consultum nostræ ratione saluti.  
Omnia sic mecum, quæ bona duco tuli:  
Namq; animas ex igne decem perduximus isto.  
Totaq; cum totâ res fuit usta domo,  
Sic, mihi quæ dederat Deus, omnia sustulit ignis.  
Quid? mihi qui dederat, sustulit illa Deus.  
Ergo quid hoc dicam? Nomen fatale diei  
Hac monuit sortis me ratione meæ:  
Dona Dei fuerant hæc omnia, cuncta datori  
Res ita se tulerit, restituenda Deo.  
Non mihi mancipio stabili data dona, sed usu,  
Qui mihi concessus, dum dedit ipse, fuit.  
Nunc, sua quæ fuerant, reposita jure potenti,  
Includens arctis omnia nostra focus.  
Hic bona nostra rudi sunt omnia mista favillæ,  
Quæ poterant flammæ faucibus esse cibus.  
Hic periere mei (memorem ne cætera) libri,  
Quos mihi lecta satis bibliotheca dabat.  
Hic benè longa manu- periit mihi- ductio, quo fit  
Sedulitas studii continuanda modo,  
Hic periere artes Logicæ, Numerosa, Sonora,  
Quis Methodus formam fecerat apta novam.

Hic



Hic periere mei sermones, concio vivâ  
Ad populum retulit quos mea voce Dei.  
Hic periere meæ numero majore Tabellæ,  
Quæ Methodo insignes exhibuere locos,  
Exhibuere locos pietatis, & ordine cunctos  
Et cunctos gratâ dexteritate breves:  
Namq; decem Legis mandata, Fidemq; Precesq;  
Pleniùs & planâ tradideram Methodo.  
Et, quas sancta gerit, geminas, Ecclesia, claves,  
Curâram limâ posse carere novâ.  
Et duo, quæ verbo connexa, sigilla, sacratio,  
Confirmant nostram re comitante fidem.  
Atq; Catechesin quæcunq; ingressa piorum,  
Absolvunt totum, Biblia parva, librum.  
Clericus hîc ordo per templa, scholasq; docentum  
Officii accepit munia plena sui.  
Hic pius auditor fuit informatus, & omnis  
Qui præceptores, quos vereatur, habet.  
Cumq; Magistratu plebs subdita, cumq; Marito  
Percepit conjux, quæ facienda sibi.  
Hic viduæ, atq; tori violatâ lege Relictæ,  
Officii partes addidicere sui.  
Hic pater & soboles, Dominus servusq; senesq;  
Et juvenes; Leges quisq; habuere pias.  
Sublimes, humiles; sapiens & bardus; egenus  
Et dives; mores hîc didicere bonos.  
Fratribus hîc & vicinis; operiq; dicatis,  
Et sua desidibus; Lectio dicta fuit.  
Quiq; Polypragmon, seleseres miscet in omnes,  
Damnatus vitio, me monitore, suo est,  
Quiq; suos justâ curat ratione labores,  
Excitus est verbo pollicitante Dei:



Namq; tabella & ad hos spectare domestica visa est,  
Præscriptum ne quis nil sibi fortè putet.

Quasq; brevi Methodo, quæ prostat publica, leges  
Observaturo cuiq; tabella dedit,

Pleniùs has justâ conatus tradere formâ  
Complêram, chartis condideramq; suis.

Sic triplex hominum, quem laus manet, ordo piorum,  
Legum informatus quisq; tenore fuit.

Cujq; triplex sordet status, adventicius ille  
Depictus propriis hic fuit ordo notis,

Scilicet in clausis qui patrat crimina claustris,  
Nec lucem, sua fraus ne videatur, adit.

*Ioh. 3. 20.*

*2. Cor. 4. 4.*

Cujus avus deus est tenebrarum orbisq; monarcha,  
Excrevit monachos qui, putris ipse, putres:

Qui, licet ætherei nitidum incolat aëra cœli,  
Lucem odit, tenebras & Phlegetontis amat,

*Colos. 1. 13.*

Hoc genitore fatus Romanus papa, nepotes  
Vult patris in clausis delituisse locis:

*2. Thes. 2. 3.*

Filius ipse quidem qui perditionis habetur,  
Et tamen est scelerum nequitiaq; pater,

*Ibid. ver. 4.*

Cuj Deus & cultus pietatis displicet omnis,  
In templo affectet quamlibet esse Deus.

Ista, catechesi sub nostrâ, singula præco

Tractâram, quarta tradideramq; vice,

Cunctaq; divino flatu aspirante parâram,

Usq; individuum prorsus ad omne caput.

Atq; Evangelicos solennes ordine textûs

Intuleram tabulis non sine lege suis.

Prætereo assumptos mœsto pro funere versus,

Et pro connubio prosperiore sonos,

Proq; novi ingressu solennia vota Senatûs,

Edideram ternâ qualia præco vice.

Prætereo,



Prætereo, Petri quam monstrat Epistola, formam,  
Quæ fuit ad versus usq; bisecta suos.

Hæc mihi erat binis pia lugubræ ratio lustris  
Congesta, in plenos jam redigenda libros.

Namq; suis saltem fuit hæc hactenus usa tabellis,  
Auctores & Res quæ Methodumq; dabant.

Sic licet Autumni mea facta est tempore messis,  
Quando aliis ierant plaustra repleta domum.

Affuit alma tamen Domini mihi gratia, & illa.  
Utribus affudit vina sat ampla meis.

Non tamen hæc soli mihi servitura locatam:  
Sed cuius, cui mens discere multa fuit,

Namq; nec ipse meâ quicquam virtute paravi:  
Sed Deus est nobis omne operatus opus.

Hæc mea sancta fuit, præstantior ære, supellex  
Omnino immensis anteferenda bonis.

Non benè quæ toto jam nunc reparabitur auro,  
Forfitan & studio non reparanda meo,

Quis scit enim: quæ fors mihi sit ventura, quot anni  
Hoc studii possint continuare genus?

Quod potero, faciam tamen, aspirante magistro  
Qui, quæ novit homo, protinus illa docet.

Hoc ausim vigiles ductore intendere nervos,  
Ut reparem, si non omnia, pauca tamen.

Serviat ut teneræ publi labor ille, Deoq;  
Primitias studii qui tulit ipse mei.

Fallor? an hoc fato factum est? cum cuncta perirent,  
Gratia quæ per me scripserat alma Dei,

Sanctæ Catechesis, tabulis data publica binis,  
Inviolata sacræ mansit in æde domûs.

Ut mihi materies tractata ex parte maneret,  
Normaq;, formandum quâ regeretur opus.

Hac

*Syra. 33. 17.*

*Ibid. ver. 18.*

*1. Cor. 15. 10*

*Esai. 26. 12.*

*Psa. 94. 10.*



Hac ope promotus priscos reparabo labores,  
Quos doleo rapidis succubuisse rogis,  
Quando facultates & bibliotheca perirent,  
Quæq; mihi in totâ grata fuere domo.  
Quæ restincta fuit ne guttâ fluminis unâ,  
Occluso jacuit sic ea sola situ!  
Ergo nec argentum potuit subsistere & aurum,  
Cujus erat tenui lamina vase mihi:  
Munera namq; Parens dederat sponsalia, poclum  
Et fratres dederant singula pocla mei.  
Addiderantq; alii cochlearia dena propinqui,  
Ex solido argenti cuncta parata globo.  
Nec deerant nobis muliebria cingula, zonæ,  
Et quas murenas virgo decora gerit,  
Nec deerant aliis argentea vasa figuris  
E patriis nobis tradita sorte bonis.  
Aurea nec deerant nitidis ornata lapillis  
Coreula, quæ matri cara fuere meæ.  
Aurea nec deerant digiti ornamenta prioris,  
Qualia Doctorum turbâ diserta gerit.  
Omnia quæ priscum sic amisere valorem,  
Ut putridas feces æris ea esse putes.  
Plæraq; sunt nobis surrepta vel integra, quando  
Plurima per cineres quæreret illa manus.  
Sic mihi cum poclo cochlearia sena paterno  
Perdita, ne micæ exhibuere sui.  
Sic quotcunq; mihi signati stigmatæ numi,  
(Aurea quæ facies) non rediere domum,  
Qui prius ornatus fuerant uxoris, & illi  
In cunis soboli tradita dona meæ.  
Plæraq; particulis nobis porrecta minutis,  
Apta suis jam non usibus esse queunt.

Cætera



Cætera non addo, proprium ne forte dolorem,  
Innovet amissæ mentio cuncta rei,  
Néve infinito te, Lector amice, fatigem,  
Carminè, qui tersum, qui breve, carmen amas:  
Nam res longa foret, si consignare pararem,  
Omnia, sub tectis quæ periere meis,  
Longior illa foret, si consignare pararem,  
Quæ sunt in cineres, cuncta, redacta ruës.  
Bini etenim novies penitus periere penates,  
Cum compage suâ cum stabulisq; suis,  
His neq; contenti Vulcanus & Æolus, urbis  
Extra etiam muros quâ data porta ruunt.  
Non data porta, Deo nisi connivente, per altum,  
Aëra, quâ rabies impetuosa tulit.  
Fortè casas humiles habuere suburbia, & illas  
OEcônomi paucas pauperioris opes.  
Hæc quoq; Tecta petunt servatâ lege modoq;  
Ac si discrimen dixerit ipse Deus.  
Stramineo stabant parvæ ædes vimine tecta,  
Possessor facili quas sibi tutus ope est:  
At, quas cocta olim defendit tegula furno,  
Has petiit ventis sævus & igne furor.  
Atq; ita civili facta est accessio damno,  
Plurima non possit quod reparare dies.  
Dicere non ausim quanti censenda supellex,  
Quæ periitq; intus, quæ periitq; foris:  
Hoc tamen affirmo: quod, in urbe ferentibus ipsâ  
Hanc cladem, fuerit res satis ampla, viris:  
Nam plenas habuere domos, stipe, farre, grabatis,  
Vestibus & vasis, omnigenisq; bonis.  
Non tamen æqua fuit fors omnibus atq; supellex.  
Nervorum tenuit plus hic, at ille minus.

D

Unus



Unus erat, quinas possessor, Poppius ædes  
Qui tenuit, multâ commoditate potens,  
Is consultus erat Juris, consulq; vocatus,  
Multorum causis obrutus ille virum,  
Bibliotheca fuit euj non spernenda, suâq;  
Acta his in causis plurima scripta manu.  
Omnia quæ penitus dolet esse exusta, nec ullo  
Restitui in formam posse labore suam.  
Alter erat, non æte quidem, sed scenore lecti  
Ditior, ingenuâ prole beatus homo:  
Cuj placidum dederat Johannis gratia nomen,  
Cognomen Ceteris pocula mista bonæ,  
Fœmineo cujus conjux percussa timore,  
Cum plena igne domus proxima quæq; foret,  
Justa fuit, fido frustra monitore marito,  
Horti cum carâ prole tenere solum,  
Hic, ubi non pauci sua servavere propinqui  
Corpora, quis aliò non fuga tuta fuit.  
Illa sed, aspectu tremefacta subinde minaci,  
Dum tulit è flammis pauca vir ipse domus,  
Fugerat ad nostros se salvatura penates,  
Quâ tutum offerri posse putavit iter.  
Quæ stipata fuit quaternâ prole, Puellis,  
Quas secum è propriâ duxerat ipsa domo,  
Virginibusq; aliis comitata duabus, in ædes  
Venit inextincto plena tremore meas.  
Venit. At egressis nobis, & fortè vocavit  
Auxilium, quod non, qui bene ferret, erat.  
Hinc transire parans notum lignile repulsa est  
Ignibus. Ergo iterum sub mea tecta redit.  
At fuga cum pateat nec retrò certa, nec ante:  
Hæret & in cellam seq; suosq; rapit.

Hæc



Hæc lectum admissi fletum teneatis amici,  
 Tristia si saltém gesta tenere sinent.  
 Flamma suo quó non potuit penetrare furore,  
 Fumus eó potuit vi penetrare suã.  
 Sic ubi speratant tutam fervare salutem,  
 Hic misero morti succubere modo.  
 Fallor? an in primo genetricem tormine natæ  
 Flebilibus tristes impetiere sonis:  
 Suffocat famus fauces, carissima mater,  
 Præ fumo in gremium nos, age, conde tuum.  
 Fumantes halitûs reprehende, exstingue, repelle,  
 Ut nos in tutâ pace manere sinant.  
 Quid faciat mater? cor hæc tetigere querelæ,  
 Arripuitq; ulnis pignora cara suis.  
 Et gemebunda, Deo, natæ confidite, dixit:  
 Exiguo hæc spacio fors patienda venit.  
 Orate. In promatu Deus est, orate. Deoq;  
 Dicite: tu mea spes, arx mea, Dux meus es.  
 Tu mihi divinæ partem largitus es auræ.  
 Vivo tibi, moriar, te moderante, tibi.  
 Dicite: Christe, tibi mentem commendo, Redemptor,  
 Mundatam à cunctâ sanguine labe tuo.  
 Ecce ego (si qua fides matri est adhibenda) quaternos  
 Ex aulâ juvenes testor adesse Dei.  
 Hi, quia tempus adest, quo cœlica tecta petamus,  
 Vos Abrahæ in gremium, me comitante, ferent,  
 Mater erit vobis comes, & Regina, comesq;  
 Anna erit, in casus utraq; lapsa pares:  
 Non moriemur enim: sed amaris gutture fumis  
 Obstructo ætheream percipiemus opem.  
 Ad cœlos saltém mentemq; manûsq; levemus,  
 Dicentes Christo præmonitore preces:

Iaco. 4. 8.  
 Psal. 91. 2.  
 Genes. 2. 7.  
 Rom. 14. 8.  
 Acto. 7. 59.  
 1. Ioh. 1. 8.

Luca 16. 22

Thren. 3. 14  
 Matth. 6. 9.



O pater in cœlis noster: venerabile nomen,  
Credimus esse tuum, quod det adire polos.  
Nos æterna tui tu transfer in atria regni:  
Namq; voluntati res placet illa tuæ.  
Suffecit nobis panis, dum vita dabatur,  
In cœlo panes nunc iuvat esse Dei.  
Tu nobis (etenim graviter peccasse dolemus)  
Omne, Pater clemens, omne remitte scelus,  
Et, vitæ extremâ quia jam versamur in horâ,  
Devastatoris fac procul esse dolos.  
Præsentiq; sacri rege nos moderamine Flatus,  
Simus ut à cuncto libera turba malo.  
Talibus infantes precibus fociasq; monebat,  
Eloquii verbis ipsa refecta sui.  
Vidit & interea tres exspirare puellas,  
A quibus ipsa parens ante vocata fuit.  
Vidit & ingemuit! superaddere verba nequivit,  
Extremos halitus pectoris ipsa trahens.  
Vidit & ad socias mortem accelerare, supremam,  
Ducentes auram. Vidit & ingemuit!  
Jamq; adeo super una fuit lactensq; puella,  
Ad matris pendens ubera sicca suæ,  
Quæ pro lacte necem moribundæ ex ubere matris  
Sugit, cumq; suæ funere matris obit.  
Sic animæ septem (nec enim dubitare velimus)  
Sese factori restituere Deo.  
Hi miserè calûs mœtum effecere maritum,  
Cum nuptâ & natis cui periere bona.  
Dic mihi: quis viduo sensus queat esse parenti,  
Qui costam & sobolem perdidit atq; domum?  
Sic reor: & sic est: Plus perdidit omnibus illis,  
Quis rerum quicquam sustulit illa dies.

Lucæ 14. 15

2. Tim. 4. 18

Eccles. 12. 7.

Perdidi



Perdidi ego ingenii foetum, foetum ille cubilis,  
Quo potuit nobis carius esse nihil.  
Hæc bona, si reliquis fuerint collata: facessent  
Protinus hinc, dives quæ, bona, vulgus habet.  
Perdier hæc quamvis homines queritentur avari:  
Non tamen hæc nostris foetibus anteferam.  
Nec vero cunctas libuit mihi scribere summas,  
Quantas quisq; suâ parte notârit opes,  
Scilicet hoc ipso quæ diffugere periclo,  
Et possessores destituere suos:  
Namq; nec est operæ precium modularier isthæc,  
Nec res proposito convenit illa meo,  
Qui mihi proposui suscepti in fronte laboris  
Dicere fortunæ damna bonumq; meæ.  
Ergo mea in summam, quæ feci, damna redegi,  
Diva quoad pietas mens & honesta tulit:  
Inveni q;: Dei porrecta ex munere dona  
Non mihi spernendis aucta fuisse bonis:  
Namq; mei & nuptæ jam tunc utrinq; parentes  
Finierant vitæ tempora dicta suæ  
Jamq; Beatorum donati sorte quietem,  
Carpebant, loculi sub regione brevis.  
Et sua legitimis dederant hæredibus, illa,  
Quæ fuerant ipsis parta labore, bona.  
Hinc plenas habui rebus mediocribus ædes,  
Quæ, quibus esset opus, commoda prompta dabant,  
Commoda prompta dabant, quorum usus in ædibus, æris  
Non ita quantumvis commoda prompta dabant:  
Nam fuit interdum bonus hic adeundus amicus,  
Reddendam parili qui daret ære stipem.  
Cætera nostra dabant nobis armaria vasa,  
Vicinis nec in hac parte molestus eram,

D 3

Sive

*Iob. 14. 5.*  
*Apoc. 14. 13*  
*Esai. 57. 2.*  
*Syr. 14. 15.*



Sive domi fuerant peragenda negotia nobis,  
 Sive (prout variant) perficienda foris.  
 Nec nisi damnifera cunctis his clade peremtis,  
 Cognoram fortis commoda prisca meæ.  
 Scilicet, hic hominum mos est: tum deniq; nostra,  
 Quam bona sint scimus, cum periere bona.  
 Accidit hoc ipsum mihi, qui, dum cuncta supellex  
 Mansit in intactâ non violata domo,  
 Ipse ignoravi, quanti censenda mearum,  
 Fortuna, intuitu vilior, esset opum:  
 Ast ubi Vulcani fuit illa incude probata,  
 Perdita res pretio dinumerata suo est.  
 Quid multis? Multis quod non reparabitur annis,  
 (Mirificâ faveat ni Deus ipse manu.)  
 Cum mea vastarent ignes vicinaq; tecta,  
 Intra horas paucas abstulit una dies.  
 Abstulit una dies, quod multâ xtate labores  
 Contulerant nostri non minus atq; patrum,  
 (Non tamen absq; Deo, cujus benedictio ditat,  
 Mortalis curâ non comitante viri.)  
 Abstulit, & levibus commiscuit omne favillis,  
 Disposuit nutu quod Deus ipse suo.  
 Scilicet, ut nostræ fidei documenta probaret,  
 An magnum ex herbâ crescere vellet olus,  
 Ut certamq; aliis ansam præberet honestis,  
 Præstandi hoc nostris tempore rebus opem.  
 Rem suus eventus nonnullâ ex parte probavit:  
 Gratia nam favit numinis alma mihi,  
 Est mihi adaucta fides, est & fiducia in illum.  
 Fautorumq; pio crevit amore favor.  
 Hinc, manifesta Dei quoties benefacta recordor,  
 In laudes ferri totus anhele Dei.

*Psal. 128. 2.*

*Psa. 104. 28*

*Prov. 10. 22*

*Matt. 10. 29*

*1. Pet. 1. 17.*

*Matt. 13. 32*

Fauto-



Fautorumq; pium nequeo reticere favorem,

Allatam à multis re mihi restor opem:

Bis mihi centenos Dux Illustrissimus ense

Florenos solido iussit in aere dari.

Et sua dona dari Comites, qui nomen ab arce

Furvâ illustre gerunt, constituere mihi.

Et sua dona mihi quidam misere Parentum,

Qui decorant pulcrâ nobilitate genus.

Et sua dona mihi parochi tribuere propinqui,

In Christo fratres quos ego dieo meos.

Et sua dona mihi privato munere nostri

Municia civis contribuere manu,

Luctificæ cladis facies quos prima movebat,

Sottis contuitos obvia damna mea,

Fautores quos sum, sum quos expertus amicos,

Dum fuit exiguo res mea cuncta loco.

Et sua dona mihi conjuncti sanguine fratres

Misere ex patriis huc benè grata locis.

Et sua dona mihi plariq; dedere Patroni,

Externas sedes qui posuere suas.

Misnia sive tuos, seu, grex Thuringice, fundos,

Fundos sive colant, ardue Saxo, tuos.

Sic mihi succurrit vicinia multa petenti,

Porrectis relevans meq; meosq; bonis:

Namq; nec erubui supplex tentare favorem

Illorum, dives quis fuit arca domi,

Atq; ita mendico pulsare poemate postes,

Quos Meccenates incoluere viri.

Quod mihi non fuerat moris, dum salva manebat,

Cum non combustâ, bibliotheca, domo.

Mendicas sed me docuit res læsa querelas;

Non secus atq; docent ipsa pericla preces.

1. Ioh. 3. 17.

Esa. 26. 16.

Nec



*Jacob. 2.16.*

Nec turpi affecit me sæva repulsa pudore,  
Nec dictum est: tibi pax: sic saturatus abi.  
Gratia summa Deo, sit proxima gratia cunctis  
Quorum ego consilio subsidioq; fruor.  
Nam mea sunt ultra mediam mihi reddita partem,  
Plus, minus. Exactè singula non numero.  
Sic mihi sunt vestes sic sunt mihi vasa parata,  
Indiget œconomi quis manus atq; domus.  
Sic mihi sunt pauci lectiq; libriq; redempti,  
Resq; quibus prorsus nemo carere potest.  
Ære quod in prompto reliquumq; nomismate mansit,  
( Res siquidem hic alias obtulit, ille stipem. )  
Hoc alieno æri, quo me fors multa gravabat,  
Impendi, ut pernox elueretur onus:  
Quod mea non poterant præstare stipendia, curæ  
Pro pastoralis parte dicata mihi,  
Dimensum saltem mihi quæ præbere diurnum,  
Quo me sustentem filioloq; valent.  
Nec poterant obiter dona accedentia quicquam  
Solvere, fraudato sæpe licet genio.  
Nec poterant præstare, tori quas fœdera, dotes,  
Obtulerant, salvâ sorte manente stipis.  
Ergo, malum quod nos insulsi duximus omen,  
Hoc Deus in nostrum jus sit abire bonum.  
Quod, licet ad punctum non omnia protinus omne  
Quadrent, si spectes perdita, siq; data:  
Non tamen hisce Deo tempus præscribo modumq;  
Reddere quo reliquum debeat ille mihi:  
Nam foret illa Dei tentatio certa, nec istâ  
Constaret Domini gratia parva viâ.  
Nec refero hæc animo damni impatiente maliq;  
Quo me complacuit corripuisse Deo:

*Rom. 8. 28.*

*Judith 8.  
11.12.*

Sed



Sed faltem, ut, quibus referetur fama, resciscant  
Cum gemitu: in quo sint omnia nostra statum.

Si Deus adjiciet largo mihi plura favore,  
Huic omni grates tempore gratus agam.

Sin minùs: Omniscii fiat divina voluntas,  
Qui benè perspectum, quid mihi pro sit habet.

Ipsè mihi pater est cœlestis & omnia novit,  
Quis egeam ad vitæ commoda prompta meæ.

Scitq; quid in dubiâ sit agendum sorte, Philippus  
Quamlibet ad numeros non tenet hocce suos.

Si qua Philippæi cognatio pectoris intus  
Sit mihi, quam præsens copia sola juvet:

Tu parcas, Pater, hisce mihi rationibus uso,  
Calculus humano cuj cadit iste modo:

Nam tibi confisus minimè despero, petita  
Quippe mei cordis tu dabis ipse mihi.

Et mea causa tuis commissa potentibus ausis  
Eventu poterit commodiore frui.

Ergo quiesco tibi, pius exspectoq; favorem,  
Tu facies: curæ nam mea cura tibi est.

Tu, cum tempus erit, mihi dona placentia reddes,  
Quæ mancant omni prospera facta dis.

Hæc lector, mea fors, hæc est mea copia rerum,  
Rerum, quæ melior, cum volet auctor, erit.

Interea ipse meâ contentus sorte quiesco,  
Et fero fortunam, qua queo mente meam.

Tentatusq; Dei benedicto nomine dico:

Quicquid erat: Dominus, qui dedit, ipse tulit.

Reddidit ille mihi, quotcunq; hoc tempore rerum est,

Meq; aliquâ fecit commoditate frui.

E

Commo-

hæc

Matth. 6. 9.

Ibid. ver. 32.

Ioh. 6. 6.

Ibid. vers. 7.

Psal. 37. 4.

Vers. 5.

Vers. 7.

Psal. 55. 23.

Syr. 11. 24.

Vers. 15.

Iob. 1. 21.



Commoditate frui fecit, mediantibus illis,  
Quorum larga manus gratificata mihi est.  
ENSIGER ô salve. Dux Illustrissime salve:  
Succurrit misero nam tua celsa manus,  
Salvete ô Comites illustri stemmate creti  
Quis Schvartzburgiaci subdita turba soli est:  
Salvete ô proceres, qui, nobilitate celebres,  
Vestra mihi promptâ dona dedistis ope,  
Vosq; Senatores & prompta per oppida cives,  
Et quos fautores extera terra fovet,  
Vosq; mei fratres & Christi in plebe ministri,  
Quorum in me bonitas antè probata fuit.  
Vosq; adeo cives, nostræ pia membra Salisæ,  
Fecistis patulâ qui mihi grata manu,  
Salvete, & vestrum celebrari hîc credite nomen,  
Quis multo grates nomine gratus ago:  
Nam perspecta mihi est pia munificentia vestri  
Pectoris, oblato quæ dedit ære stipem.  
Agnosco officium pietatis opusq; favoris  
Prædico, quod tenui ferre parastis opem.  
Quamlibet expressio non omnia nomine dicam,  
Unde mihi & quantum venerit auxilium,  
Quæ prolixa nimis foret enumeratio, nostrum  
Iliade & faceret grandius illud opus:  
Affectum, satis esse, meum, nam, prodere, duco,  
Vos animi, ut constet, quâ pietate colam.  
Ergo, oculis qui me placidis spectastis egenum,  
Respiciat placidè vos Deus ipse, precor.  
Illius ut dives faveat benedictio vobis,  
Reddat & octuplo scenore misera mihi.  
Mutua namq; Deo benefactis æra dedistis,  
Qui mihi, tunc inopi forte, tulistis opem.

Deu. 28. 3. 4.

Prov. 19. 17.

Qui



Qui mihi, quippe bono (nulla est jactantia verbo)  
Certastis largas exhibuisse manus.

Syr. 12. 1.

Compenset Deus ipse meis benefacta patronis,  
Compensare egomet quæ miser impar ero.

Non tamen admittam reprobi ut cognomine dicar,  
Qui benefactorum non velit esse memor:

Syr. 12. 3.

Prov. 13. 7.

Nam, nec ab ingratis laribus mala cedere, certum est,  
Nec spes illius protinus esse ratas.

Sap. 16. 29.

Ergo, quibus possum grates proferre loquelis,  
His etiam grates profero gratus homo.

Ipse Deus, vivos qui matris ab ubere pascit,  
Omnibus ac homines afficit usq; bonis,

Syr. 50. 24

Exhilaret vestras lætanti in pectore mentes,  
Optatâ vobis det quoq; pace frui.

Ibid. ver. 25

Ut nullo offensum videatis tempore numen,  
Spes sit ut in vivo vestra locata Deo,

1. Tim. 6. 17

Omnia qui nobis bona præstat abunde, fruiq;  
His finit in læta, quam facit ille, die.

Eccles. 7. 15.

Scilicet ut tenues non aspernemur amicos,  
Quando diem lætum concelebrare datur.

Syr. 14. 13.

Hic est ordo Dei, nec non divina voluntas  
Mundi hæc divitibus sunt data iusâ Dei.

1. Tim. 6. 17

Felices! miseri quotquot miserentur egeni,  
Felices, quibus est non opis hujus opus!

Psal. 41. 2.

Felix, qui maculis, dives deprenditur expers,  
In factis dives possit ut esse bonis.

Syrac. 31. 8.

1. Tim. 6. 18.

Qui melius dare, quam data sumere, poscere danda,  
Esse putat, Domino sic referente suo.

Acto. 20. 35.

Is bona venturæ sibi fundamenta salutis  
Acquiret, certum percipietq; lucrum,

1. Tim. 6. 19

Ut pius æternam possit comprehendere vitam,  
Fallere, quam spondet, nescius ipse Deus.

Tit. 1. 2.



1. Tim. 4.8.

Galat. 5.6.

Iacob. 1.17.

2. Cor. 8.14.

Hos ego thesauros, hæc lucra piissima, vobis  
Pectoris ex imis motibus opto mei.

Ut quæ de vestris mihi porrexistis acervis

Hæc vobis ævi lucra utriusq; ferant :

Nam pietatis opus dilectio vestra peregit,

Et veram in vobis prodidit esse fidem.

Atq; ita Relligio vestra immaculata refulsit:

Namq; inopem juvit copia vestra virum.

Finis adest. Vos ergo mei, quos orno, Patroni,

( Affectus vestro quippe favore cliens. )

Hæc mea si vobis aliquando legenda dabuntur

Carmina, quæ pigro mens dedit ægra stylo;

Ignibus exusto faciles ignoscite vati,

Cui vates nullus, qui legeretur, erat.

Cuj non secessus, non otia grata, dabantur,

Non vigor in latâ mente serenus erat.

Et, namq; hoc unum superest, traducite vitam,

Ex voto, ad nutum consiliumq; Dei,

Ut, benè finito præsentis tempore secli,

Vos maneat perpes vita animæq; salus.

Claudite nunc Elegos, Musæ, satis ore querelas

Et plenum lacrimis exposuistis opus.

Est satis indultum vestris singultibus. Aures

Præ nimia læsæ garrulitate dolent:

Nam præter flammæ nihil insonuistis & ignes,

Proveniunt curæ mentibus unde graves.

Legimus hîc planctûs, mera damna, pericula, clades,

Interitumq; hominum quotlibet, & pecorum.

Dulcia nunc mæsto solamina dicite cordi,

Præ mærore suum ne cadat ante diem. :

Syra. 38.18.

Vivit



Vivit enim Deus is, qui magna operatur, & illa,  
 Quæ perferuari non queat ullus homo.  
 Qui pluviis nostros genialibus irrigat agros,  
 Ille levat mœstos ille humilesq; viros.  
 Sauciat ille quidem læsis sed & ipse medetur,  
 Vulnerat, atq; suâ vulnera sanat ope.  
 Quod tibi si veniat tribulatio sena: quid inde?  
 Inde tamen Domino vindice tutus eris.  
 Septima si senis veniat superaddita clades:  
 Te penitus nullum tanget & hîcce malum.  
 Si qua fames totum premat insatiabilis orbem,  
 E necis imperio te trahet ipse Deus.  
 Prælia si terræ moveant inimica Monarchæ:  
 Te Deus à gladii subtrahet ipse manu.  
 Ergo beatus homo est, qui castigatur ab ipso,  
 Qui regit omnipotens cuncta creata, Deo:  
 Namq; pius veluti mater Deus erigit omnes,  
 Dum, quæ solentur, verba benigna sonat;  
 Ne timeas, mi serve Jacob, tete ipse redemi.  
 Ne timeas: meus es, sum memor ergo tui.  
 Quod si transieris per aquas; reboantibus undis:  
 Tecum ero, ne noceant flumina vasta tibi.  
 Si quoq; per medias flammâs transiveris ignis:  
 (Si modò tentato fiat id absq; Deo.)  
 Non combureris, nec te vaga flamma cremabit:  
 Namq; ego Salvator sum Deus ipse tuus,  
 Huic ergo dignas, Musæ, persolvite grates,  
 Protectæ cuius hæctenus estis ope.  
 Dum Deus avertit meritam placabilis iram,  
 Ne peteret nostros flamma secunda lares,  
 Quando hominum focors incuria, tempore ab illo,  
 Induxit propriis crebra pericla focis.

*Iob. 5. 8*

*Vers. 9.*

*Vers. 10.*

*Vers. 11.*

*Vers. 18.*

*Vers. 19.*

*Vers. 20*

*Esa. 66. 13.*

*Esa. 43. 1.*

*Vers. 2.*

*Vers. 3.*

E 3

Quando



Quando & ab æthereo metuendum sulphur olympto  
 Culmina fulmineâ perterebravit acu.  
 Quæ nisi cuncta Dei retudisset dextra, fuissent  
 Majora his nostris damna parata locis,  
 Thre. 3. 22. Ergo Dei acceptum bonitati hoc omne ferendum est:  
 Quod non consumti cladibus hisce sumus,  
 Sit tibi, summe Deus, pro tantis gratia signis,  
 Unde tuæ eluxit vis bonitasq; manûs.  
 Protinus ô nostris ignosce scelestibus ausis,  
 Qui facimus quovis non facienda die.  
 O pater, ô elemens Dominator in æthere, parce,  
 Sap. 2. 23. Parce: à te siquidem turba creata sumus.  
 Act. 20. 28. Turba redempta tui sumus almo sanguine Nati,  
 Act. 15. 8. 9. Turba sacrata tui Flamini ore sumus.  
 Psal. 79. 8. Nostrorum ne sis nimium inemor ante malorum,  
 Esai. 64. 5. Quis commota tui numinis ira fuit,  
 Psal. 29. 7. Prima juventutis delicta remitte, nec unquam  
 Psal. 103. 10. Commisso à nobis digna repende malo.  
 Iob. 1. 10. Sed nostris firmos rebus circumdare muros  
 Psal. 34. 8. Dignare, angelici fulgida castra chori.  
 Deut. 28. 49. Ne quis in has terras (grex barbarus) ingruat hostis,  
 Ne v' patrium vastent civica bella solum,  
 Dan. 4. 10. Tu sanctos adhibe vigiles, qui mœnia curent  
 Nostra, & privatas nocte dieq; domos.  
 Psal. 121. 4. Tu custos Israëlis ades, & pervigil urbes,  
 Psal. 127. 1. Quas vigiles nequeunt, tute tuere tuas.  
 Sic erit, exhibitum gratâ ut pietate favorem,  
 Psal. 104. 33. Carmine quisq; pius concelebrare velit.  
 Psal. 69. 32. Quæ tibi cornuti præ tauri holocausta placebunt,  
 Syr. 34. 23. A quibus ingenuus Numinis absit amor.  
 1. Cor. 13. 9. Quamlibet hoc ipso miseri fateamur in ævo,  
 Non perfecta tibi posse holocausta dari.

Sunt



Sunt alia in cœlis, & perfectissima, secla.  
 Hic perfecti homines angeli ad instar erunt.  
 Hic perfecta tuæ dicentur carmina laudi,  
 Perpetuo angelicis continuanda modis.  
 Interea nostri fragmenta misella stuporis  
 Suscipe, & in Christo plena placere sine.  
 Clementesq; tuis oculos obtende ministris  
 Dilectum qui te pectore & ore colunt.  
 Protectorq; potens magnæ & virtutis asylum,  
 Esto tuis, æstu ne sitiente cadant.  
 Esto tuis, cancri signis ferventibus, umbra,  
 Cum steterit summi Phœbus in axe poli.  
 Exhilarésq; horum læto cum pectore vultus,  
 Ut, quæ corde latent, gaudia fronte micent.  
 Prolongesq; dies sano & cum corpore vitam,  
 Ut fonte ex pleno prospera cuncta fluant.  
 Donec in exhibiti salvatis nomine Christi  
 In Domino summam detur obire diem.  
 Ut, cum summa dies extremi venerit ævi,  
 Quæ functos vitæ mors Erebusq; dabunt,  
 Impleat hæc nostras sententia iudicis aures:  
 Huc succede mei turba beata patris,  
 Tempus adest sperata poli quo regna capesfas,  
 Hæredem quorum te jubet esse pater.  
  
 Talibus auditis super æthera nube feremur,  
 Victuri æternos lucis in arce dies.  
 Christe, veni, servosq; tuos exsolve, tibiq;  
 Associa, ut capiant gaudia. Christe veni.

Matth. 22.  
30.

Esai. 6.3.

Colos. 2.10.

Psal. 34.16.

Syr. 34.19.

Acto. 4.12

Apoc. 14.13.

Acto. 17.31

Apoc. 20.13.

Ioh. 5.27.

Mat. 25.34

Rom. 5.2.

1. Pet. 1.4.


1. Thes. 4.17

Phil. 1.23.

Apo. 22.20

GLORIA IN EXCELSIS  
DEO.







L A M E N  
H I S

**TRIST  
INCENDI  
THURINGORU  
STH: 1602. AD 6**  
horâ nocturnâ tertiâ, obor  
ficia bonorum domestica  
ctilem continentia, p  
pecora mi

**AD EXCIT  
TERATAM PENE**  
*riam rei hujus (quæ certissimâ  
filii tamen sui mediatrice  
exhibuit, ) in Elegia*

**SECUNDO DE  
CEPTAM CLADEM**  
niâ & multis confinium c  
ejusmodi incendia inci  
pro anniversari

**HENNINGO DEDE  
DIACONO, PRÆT**  
vitam, & pellem nudâ salt  
Deo, ex eo ip

IMP RE  
Typis Pistori  
Magne Dator, parC

*Doctissimo et humanissimo  
Reip. Gothane a codice ill  
suo & commiserationis*



*Resembecio  
vi. affini  
tor.*

